

QVVM
VIR
MAGNIFICVS ATQVE ILLVSTRIS
DOMINVS
BVRCARD GOTTHELF
STRVVE

JCTVS, SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM LINEAE
 ERNESTINAE ET SERENISSIMI MARGGRAVII BRAN-
 DENBURGO - CVLMBACENSIS CONSILIARIVS ETIAM
 AVLICVS, DVCALIS HISTORICVS, IVRIS ET HISTO-
 RIARVM PROFESSOR PVBLICVS,

AVVNCLVLVS ATQVE PATRONVS PARENTIS
INSTAR VENERANDVS

SVMMVM ACADEMIAE IENENSIS MAGISTRATVM
PRO - RECTORATVM

VOCANT

SECUNDISSIMIS AVSPICIS
 ITERVM CAPESSERET

CVM

VETERIBVS ICTIS HISTORICIS
 EVNDEM

TENVI EPYSTOLA

COMPARATVRVS

GRATVULATIONIS OFFICIO FVNGI
 VOLVIT

CAROLVS HENRICVS FLOERCKIVS,
 IENENS. IVR. CVLTOR.

I E N A E
 LITERIS WERTHERIANIS.



Kapsel 78 N 13 [129]

FELICITER!



Extractata, Vir Illustris atque Magnifice, satis superque est ea quaestio de summe necessaria Jurisprudentia & Historiarum coniunctione, & quasi societate, alterius in alteram beneficia a doctis viris latius sume expoita, & satis firmis argumentis sententia stabilita: haud praeclarum Jcti nomen cum tueri posse, qui historiarum sit expers, neque historiarum satis esse gnarum, qui non sit iuris peritus, (a) Prouocant in primis ad Glosatores illud hominum genus, qui renascente iurisprudentia illam quidem tanquam Atlanticis humeris tulerunt, cum tamen omni historiarum & Antiquitatum cognitione fuerint desituti, innumerous in explicandis legibus commiserunt errores. Impresentarium, Vir Illustris, mecum constitui, de Veteribus Jctis Historicis quadam agere, simulque breuem historiam eorum, qui historiam cum iurisprudentia feliciter coniuxerunt, exhibere. Principem inter eosdem sibi vendicant locum Pontifices Romanorum Maximi. Enimvero Romanae rei auctores Pontificum collegio, eorumque Præfidi Pontifici Maximo curam iuris mandauerunt & historiæ scriptiōnem, & memoriae publice confignationem comiserunt; Juris, quod attinet, prudentiam, appellatur Pontifex ille Maximus iudex atque arbiter rerum divinarum atque humanarum (b) cum apud eum omnium Legum XII. tabularum & interpretandi scientia, & actiones essent. (c) Et quoniam a Maximo Pontifice, ubi arcana legum disciplina condebatur, ciuibus responsa dabantur, ius Pontificium, actus legitimi, legis actiones, quibus ius nostrum mirum in modum adauertum atque illustratum, ab eo promanarent; quo de iure pontificio multa adhuc in veterum monumentis habemus vestigia. Erat proinde apud eundem Pontificem Maximum, rerum gestarum, annualique custodia, libri vero ab ipso conscripti, licet breues & angusti essent, modo Annalium maximorum, (d) modo publicorum, (e) modo Pontificum Maximorum (f) nomine insigniti, continebantque singulorum annorum actus, qui a rerum romanarum initio fuerunt, imo etiam earum qua natalem Vrbis antecessebunt; merito autem dolet Liuius, (g) quod Commentarii hi, urbe a Gallis capta atque incensa, magna parte fuerint absunti. Ex atlatis igitur hisce liquido constat: omnes Pontifices Maximos & iuris & historiarum fuisse peritissimos; nimis autem essem prolixus, si magnum eorum catalogum, quem antiquitas nobis conferuerat, exhiberem. Inter alios vero homines egregios primo teste offert loco Appius Claudius Cæsus iuris ille, & eloquentie, vel potius historiæ, consultus. (b) Enimvero multum illi debet legum scientia, quod actiones ad formam redegerit, librumque de usurpationibus emiserit; neque minorem in historia antiquissimum nosfer reip. romanae scriptor (i) meretur laudem, cum nonnullas mortuorum laudationes conscriperit, ex quibus historia romana mirum in modum erat illustranda, unde a Cicerone valde commendatur. (k) Magna deinde inter viros eruditos de Quinto & Servio Fabiis Pictoribus est controvergia, cum alii ea, qua in veteribus leguntur monumentis, uni Quinto tribuant, quem & juris & historiarum scientia polluisse affirmant. (l) Rectius quidem ali duo constituant, (m) in eo tamen, quod pace tantorum virorum dictum sit, errare milii videntur, quod Qu. Fabium Pictorem solum faciant historiarum, Seruum autem solum juris peritissimum. Mili enim perfusum est, utrosque Fabios & juris & historiarum peritia fuisse illustres. Qu. Fabium Pictolem quod attinet, false quidem a Vossio (n) scriptorum antiquissimus vocatur, cum Appius Claudius Cæsus centum plane ante eum aëris, rerum gestarum & memoriae veteris conseruauerit ordinem, nosfer tamen Fabius bellum Annibalicum pereleganter conscriptum reliquit, juris quod attinet scientiam, prouoco ad Praturam ab eo feliciter gestam, (o) prouoco ad alios summos honores ipsi delatos, (p) prouoco ad alia negotia publica ab ipso prætractata. (q) Servii proinde Fabii Pictoris memoriam solus Ci-

(a) Optima fere habent PHIL. MELANCHTHONIS verba in Orat. de argum. histri, ejus Chron. Carion. p. 41. Itcū nisi initia, fontes, causas, occasiones, auctores legum, nisi formam & conjectitudinem judiciorum, & rerum publicarum, nisi ordinem & discrimen magistratum ex hisforis didicis, nisi in finitam causam varietatem, legibus ex Veteribus hisforis adjunxerit, nisi hisforiana habuerit pro magistris prudentie politice, que formet, ac cui norma dirigat iudicia, sepe balducinabitur, & impinges, & conjectura potius, quam rationibus adducatur, conf. FR. BALDVINI de insit. hisfor. univer. & eius cum jurispr. conjuncti lib. II. in pena art. hisfor. t. I. p. 599-742. CHRIST. HENELII Statua Mercur. c. 10. BERNARTIVS de utili. leg. hisf. c. 1. ANT. SCHVLTINGII orat. de jurisprudentia hisforica, de Glosatoribus vid. CHR. THOMASI dein. hisfor. jur. s. 175. ARTHVR. DVCK. l. 1. c. 5. (b) FESTVS voc. Pont. Max. (c) l. 2. s. 6. π. d. O. I. (d) GELLIVS l. 4. c. 5. MACROBIVS l. 3. Satyr. c. 3. (e) DIOMEDES l. 3. (f) CICERO de Orat. 2. & de legib. t. (g) LIVIVS l. 6. (b) LIVIVS l. 10. (i) ISIDORVS l. 1. etym. c. 37. (k) CICERO in Bruto. (l) VAL. FOESTER. in hisfor. jur. cia. l. 2. c. 18. p. 367. (m) VOSSIVS de hisfor. lat. l. 1. c. 3. p. 12. GROTIUS in his. Jct. l. 1 c. 4. p. 27. (n) VOSSIVS s. l. (o) LIVIVS l. 37. (p) VOSSIVS c. l. (q) APPIANVS in Annibal. c.

tero (r) nobis conseruauit, dum eum *& juris, & litterarum & antiquitatis peritum* appellat, & cum de eius scientia iuris, neminem, qui dubitet, hominum esse existimo; ita de historiarum cognitione ex voce: *antiquitatis*, quam veteres pro historia poni solebant, (s) licet sulphurari. *Lucius præterea Cincius Alimentus* optimo iure in JCTorum ordinem referendus est, cum in libro de officio JCtis voces aliquas JCtis usitatas explicaverit, (t) *bistorie* quoque *Annibalice & Gorgia Leontini* conscriptione (u) famam inter historicos veteres acquisiuit incomparabilem. *M. Porcius Cato iuris peritissimus* (x) in iurisprudentia laborauit & præstiterit, & *Septem Originum libris* (y) res gestas populi Romani exponens, antiquitatis cognitionem posteritatem conseruauit. *De Lucii Calpurnii Pisone iurisprudentia*, nemo, quantum memini, quicquam annotauit; tefte autem *Cicerone* (z) *& causas egit, & multarum legum aut auctor fuit, aut diffusor*, inter summos proinde historiarum conditores ob *Annales* confessos referendus. (a) Inter JCtos Historicos quoque locum meretur *Qu. Fabius Maximus Servilianus*, qui Pontifex fuit Maximus & *Annalium, & iuris pontifici* libros pererudit conscriptis. (b) *L. Calpus Antipater* iuris peritus, *bellum Annibalicum* conscriptis optime, cum ceteri non tam exornatores rerum fuerint, sed tantum narratores. (c) *P. Rutilium Rufum* virum non feculi sui, sed omnis aui optimum (d) multa iurisprudentia incrementa dedisse, historiamque romanae *Numantini bellū* descriptione illustrasse, confat inter omnes: *Longus* quoque inter JCtos historicos meretur locum, quod Antonii apud Ciceronem (e) locus confirmat: nec non *Cn. Anfidius*, qui Græcam historiam litteris exaravit, (f) licet in iuris arte nihil ad posteritatem transmiserit. Quantos præterea in iure progressus fecerit *M. Tullius Cicero*, ex libro de iure ciuili in artem redigendo abunde constat, neque minus diligens fuit in historia coagmentanda, quod ipsum Commentarii de suo Consulatu, de claris oratoribus & Anecdotorum testantur. (g) *Janium Gracchanum* in JCTorum catalogum recipiendum esse, & libros de *poteſtati* septem consignasse, ex Vlpiano (b) colligimus, qui inter alia historica primam *quaſtorum iſtitutionem* erudire pertraſtauit. (i) *Qu.* posthac *Aelius Tubero* publici priuatique iuris doctissimus (k) libros *bistoriarum* quatuordecim confecit. (l) Praclare quoque de Romanorum historia meruit *C. Atius Capito* publici priuatique iuris peritissimus (m) fragmenta autem eius historica a Gellio, Macrobi, Ffeto nobis conseruata Riccobonus diligenter collegit. *Mastrius Sabinius* vir longe optimus, sapiens, & interpres legum nulli secundus (n) aliquem inter historicos depositum locum, cum librum *Memorabilium* scriptis mandauerit. (o) *C. Suetonius Tranquillus* summus ille historicus & *vitarum XII. Imp.* scriptor celeberrimus, *magister* fuit *epifoliarum* sub Hadriano, (p) quod munus erat JCTorum proprium; (q) ex inde suscipiari licet, summa illum iuris scientia instructum fuisse. Principem tamen inter JCtos historicos obtinet locum *Titus Ariſto* cuius vitam, mores, resque gestas Plinius optime designauit. (r) Hic quoque allegari meretur *Pomponius* legum peritissimus (s) qui brevi schedula originem, progressum rei, iurisprudentia & officiorum Romanorum, neque minus successionem prudentum eleganti & breui filio perscriptam reliquit. *Claudius Eufebius* *vitas* Diocletiani, Maximini, Galerii & Constantii *Imp.* conscribendo historiam illustrauit, iuris, quod attinet, prudentiam, rursus ad officium Magistri epistolaram illustrauit, iuris, quod attinet, prudentiam, rursus ad officium Magistri epistolaram ab eo gescum prouocamus. (t) *De Sexti Aurelii Victoris* historiarum cognitione nemo dubitat, maxime cum epitomen de *vitis Imp.* confecerit; neque ullum dubium de eius iuris scientia esse potest, cum consideramus, quod in veteri quodam inscriptione

- (r) *CICERO* in *Bruto*. (c) *Patet hoc ex loco CATONIS apud CICERONEM de Sintestate c. 11. omnia antiquitatis monumenta colligo, ex CORNELIO NEPOTE in *vit. Caton.* antiquitatem habuit cognitam, ut tam totam in eo volumine. (*Originum* expofitor, & in *vit. Attici*: *Antiquitatis amator, quam totam in eo volumine expofuit.*) (r) *FESTVS voc. nuncupata*. (u) *VOSSIVS L. 1. c. 4. p. 18.* (x) *CL CERO d. Orat. 3. LIVIS l. 30. QUINTILIANVS L. 12. c. 3.* (y) *CORN. NEPOS*, in *vit. Caton.* (z) *CICERO* in *Bruto*. (a) *VOSSIVS L. 1. c. 6. p. 24.* (b) *Ex Annalibus* locum adducere *SERVIVS* ad *I. Aenid.* & ex libro *juris Pontificis XII. MACROBIUS L. 1. Saturn.* c. 16. (c) *CICERO* de *Orat. 2.* (d) *VELLIVS PATERCVLVS lib. 2. & ATHENÆVS Dei- posopb. I. 6. c. ult.* (e) *ANTONIVS* apud *CICERONEM* de *Orat. 1. historiam & prudentiam iuris publici, antiquitatis & exemplorum copiam, a viro optimo & iſiſ rebus iſtrutissimo Longo mutuabor.* (f) *CICERO* lib. 5, *Tuscul. quaſf.* (g) *Commentarius de suo confidatu, & claris Oratoribus quod attinet, vid. VOSSIVS L. 1. c. 11. p. 13.* ibidemque allegati, de *Anecdoto* ipſe teſtatur *CICERO* ad *Atticum* l. 2, ep. 6. & l. 14. ep. 7. (h) *l. 1. m. d. offc. quaſf.* (i) *PLINIVS bistor. natur. l. 23. c. 1.* (k) *l. 2. s. 46. π. 4. O. 3. ep. 7.* (l) *GELLIUS Noſt. Att. l. 5. c. 4. & l. 10. c. 28.* (m) *Idem GELLIUS l. 10. c. 20.* (n) *l. 2. s. 47. π. d. O. 3.* (o) *ATHENÆVS in l. 14.* (p) *SPARTIANVS in vit. Hadriani.* (q) *de numeri hoc Magistri Scriniorum, quorum quatuor genera erant memoria, epifoliarum, libellorum, diplotionum verba ABILII LAMPRIDII Alex. Sevér. c. 15. ita fonantur negotia *& causas* prius a scriniorum principibus, & do- Bilissimi iuris peritis, & fōi fideliibus, quorum primus tuni Vlpianus erat, tradidit ordinariisque, atque star- ferri ad se præcepit. (r) *PLINIVS l. 1. ep. 23.* quantum rerum exemplorum, antiquitatis tenet? sic iura publica ut priuata, sic antiqua, ut recentiora, sic rara ut singularia testantur, conf. IDĒM l. 8. ep. 14. (s) *Teſtatur id ipsum l. 2. π. 4. O. 3. aliisque,***

fragmento: iudex sacrarum cognitionum nuncupetur. (u) Breuiter itaque nominauit principes aliquot in maxima Rep. viros, qui & agendo, & scribendo illustrarunt historiam atque iurisprudentiam. Possunt denique maximi & praestantissimi Imperatores *Ottavia-nus Augustus, Tiberius Claudius, Adrianus, Seuerus*, hic referri, qui de iurisprudentia optime fuerunt meriti, eosdemque scriptores historicos suisse gaudeo. (x) Licer rectissime a M. Tullio (y) pronunciatum sit: *Romanorum ingentia aliarum gentium ingenii multis partibus antecelluisse*, in Te tamen, Vir Illustris, illustrum Roman. hominum virtutem, eruditioinem, iuris prudentiam, historiarum scientiam reflorescere, in Te antiquos longe superare, lati conspicimus. Confiteor igitur, omnes in omni aetate, qui & iuris & Antiquitatum habuerunt intelligentiam Tecum minime esse comparandos, cum ea omnia animi bona, quae in singulos illos dispertita adspiciebantur, in Te unum larga fortuna manu collata intucnatur. Liceat tamen mihi breuem quandam comparationem Te inter & nonnullos JCTos historicos instituere. Sicut enim Munificissimi huius Salana Nutritores agnouerunt & agnoscent hodie necessariam iuris & historiarum conjunctionem, cum Tibi iam olim & Iuris & Historiarum professionem clementer demandauerint, nunc vero Tibi ex sapientium nostrae ciuitatis consilio munus Pro-Rectoris gerenti curauit atque custodiam legum Academicarum subiiciunt: ita in eo ipso Pontificem Romanorum Maximum, cuius munus curam & custodiari iutis & Antiquitatum respiebat, in comparationem Tecum omnino deduci posse, omnes valde latamur. In Pontificem proinde Maximum nemo nisi *bonus* eligebarat. (z) Patres nostri conscripti Te *bonum* aut melius *Optimum* nominant. Enimvero, qui iudicem virum bonum dixerunt, universas virtutes, qua iudicem decent, in compendio dederunt; (a) Tu autem ita iustus & bonus vir es, ut natura non disciplina consultus esse videaris: optimo quoque iure Tibi Optimi cognomen, quod non priuate testimonio sed totius senatus Romani sacramento primum *Cajo Scipioni Nasica* (b) posthac *Trajano* (c) tributum, competere, constat inter omnes. Praterea *M. Porcius Cato* JCTus ille historicus qui ob multarum rerum usum & experientiam *Cato* nominatus, (d) sui generis ac nominis initium a se propagauit, (e) tanquam vir cum prudentia, tum omni virtute excellens ad colum usque laudatur. Eadem etiam, de Te, Vir Illustris, asserere possumus, ea enim constantia & vita integritate extas, ut Catonem. Te nostri temporis appellare minime dubitemus, forte prisco illo admirabilior, quod in corruptissima temporum nostrorum aetate illius virtutem retineas, genusque Tuum longe praecellens Catonis exsaltat. Habuit enim Struviana familia praestantissima Jurisprudentiae lumina, quae ad instar *P. Mutii Scavole*, (f) iurisprudentiae laudem in suam familiam introduxerunt, quam posteri colunt ut hereditariam. Tu exemplum atque effigies virtutis & eruditiois existis paterna, fama Tua atque nomini existimatio tam illustri & perugata est, ut aliorum Interpretum scripta Te satis decantent. Felicem quoque Ciues, Te Pro-Rector, nostram propter Salam Academiam esse iudicant, altaque jam voce Te ad instar *Ciceronis* JCTi Historicis Patria Parentem nuncupant. Quum igitur, Vir Illustris, Tibi summus Academiae magistratus, Pro-Rectorum vocamus, delatus sit, officii mei & clientelae ratio postulat, ut congratulantium numero accederem, Tibique priscum illud *Feliciter!* acclamarem, siquidem Augustissimi Imperatores iustissimos & vigilansissimos iudices publicis acclamationibus collaudandi omnibus dederunt potestatem. (g) Summa itaque haec, summe Patrone, aut potius Parens, si Tibi pietatis, quam potestatis nomen gratius erit, mihi votorum est, ut Deus T. O. M. Tuum Regimen esse iubet fortunatissimum, celestes Tibi concedat vires, ut muneri huic tam graui & arduo praefesse, idque ad eternam Numinis gloriam, huius Salana incrementum, Tuique ipsius commodutu feliciter possis peragere; ad integrum denique absolutamque felicitatem a Deo immortali religiosissimis contendamus precibus, ut per longam Te annorum seriem sospitem atque superstitem conservet; nulli non dubitamus, regimen Tuum unicuique fore opatum, Te summa integritate & ipnoccencia rectorum, regimene dehinc Tuum ad instar *Qu. Mutii Scavole* (b) regiminis Patrum decreto in eam provinciam iturus tanquam exemplum atque formam officii positurum. Ita Vale, mihiisque fauere perge. Dab. Jena VIII. Febr. MDCCXX.

(t) FLAVIVS VOPISCVS in *His. Car.* (u) fragmentum hoc exhibet VOSSIUS de his, lat. I. 2. c. 15. p. 221. (x) de Augusto tellatur SVETONIVS c. 85. de Tiberio IDEM in *His. Tib.* c. 6. de CLAUDIO IDEM in *Clad.* c. 12. de Seuer. SPARTIANVS in *His. Seu.* (y) CICERO de Orat. 1. (z) CICERO de leg. 2. (a) I. 129. §. 2. πτ. d. V. O. LAMPRIDIUS in *His. Heliogab.* refert. Imperatore *Vlpianno* *¶Cum remouisse ut viuum bonum, quo omnes ipsius virtutes complectuntur* (b) I. 2. §. 37. π. d. O. §. 7. (c) PLINIVS in *panegyr.* (d) PLVTARCHVS in *His. Caton.* (e) CICERO in *Verr.* 2. (f) CICERO I. de finib. & I. 88. π. d. uſq. (g) I. 3. C. d. off Rel. prou. (h) vid. VALER. MAXIMVS I. g. c. 14. qui adhuc refert: Asiaticos feluum ei condidisse, cui *Mutianus* nomen erat, eumque, qui refit administraverat, *Scavolam* dixisse.



QVVM

V I R.

MAGNIFICVS ATQVE ILLVSTRIS

DOMINVS

BVR CARD GOTTHELF STRVVE

JCTVS, SERENISSIMORVM SAXONIAE DVCVM LINEAE
 ERNESTINAE ET SERENISSIMI MARGGRAVII BRAN-
 DENBURGO - CVLMBACENSIS CONSILIARIVS ETIAM
 AVLICVS, DVCALIS HISTORICVS, IVRIS ET HISTO-
 RIARVM PROFESSOR PVBLICVS,

AVVNCVLVS ATQVE PATRONVS PARENTIS
 INSTAR VENERANDVS

SVMMVM ACADEMIAE IENENSIS MAGISTRATVM
 PRO - RECTORATVM

VOCANT

SECUNDISSIMIS AVSPICIIS

ITERVM CAPESSERET,

CVM

VETERIBVS ICTIS HISTORICIS

EVNDEM

TENVI EPISTOLA

COMPARATVRVS

GRATVULATIONIS OFFICIO FVNGI

VOLVIT

CAROLVS HENRICVS FLOERCKIVS,
 IENENS. IVR. CVLTOR.

I E N A E

LITERIS WERTHERIANIS.



Kaprel 78 N 13 [129]

